



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ejusdem epistolæ de monasterio Semichensi in Hungaria, ad Hugonem  
Abbatem monasterij sancti Ægidij in Septimania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

tur Ecclesiæ scandalum generari. De cœnobio sancti Eligij quid agendum sit, ejus provisioni commisimus. Dicitur enim & loco importunissimo situm, & inhabitantium desidia tam infamiae quam ærumnæ vehementer expositum. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis.

Vir clarissimus Lucas Dacherius edidit in tomo III. Spicilegij pag. 126. litteras Paschalis II. ad Daimbertum Archiepiscopum Senonensem, quibus ei commendat Episcopum Parisiensem noviter à se consecratum. Putavit ille intelligenda hæc esse de Fulcone. Verum ex epistolis 144. & 146. Iponis Episcopi Carnotensis, tum etiam ex ea Paschalis epistola quam nos heic edidimus, in qua agitur de monasterio sancti Eligij, manifestum est & illam Dacherij & nostram explicandas esse de Galone Episcopo Parisensi.

*PASCHALIS II. EPISTOLA  
de monasterio Semichensi in Hungaria, ad  
Hugonem Abbatem monasterij sancti Ägi-  
dij in Septimania.*

**P**aschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Hugoni Abbatii monasterij sancti Ägidij quod in valle Flaviana situm est ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Latiflavus siquidem bonæ memoriae Hungarorum Rex ad honorem Dei & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in memoriam sancti confessoris Ägidij Semichensem fundavit Ecclesiam, & eam per manum Odilonis felicis memoriae prædecessoris vestri monasterio beati Ägidij, cui auctore Deo præsides, obtulit; ubi & ejus corpus venerabile requiescit.

An. 1106.

M. iiiij

Hanc nimirum oblationem pro animarum salute perpetratam nos largiente Deo apostolicæ sedis auctoritate firmamus , cui vestrum Flavianæ vallis cœnobium ab eodemi sancto Aegidio in \* salarium datum agnoscitur. Igitur supradicti Regis deliberationem præsenti decreto sancimus , ut quicunque Semichensis Abbas fuerit , Abbatii monasterij vestri , quod in valle Flaviana à sancto Aegidio constructum diximus , obedientiam profiteatur & perseveranter observet , negotia quæ monasterio acciderint , Regis consilio terminentur , & nullus præter Regem super res Ecclesiæ judicare præsumat. Porro monasterij Ecclesia cum atrio suo ea semper libertate potiatur ut illic refugientes nullum personarum sive rerum præjudicium patientur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temerè perturbare aut ejus possessiones auferre , minuere , vel temerariis vexationibus fatigare , sed omnia quæ ab eodem Latiflavo Rege vel aliis fidelibus de jure proprio data sunt , aut in futurum Domino largiente illic dari contigerit , firma semper & integra conserventur , salva canonica reverentia diocesani Episcopi , eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito vel Semichensem cellam à vestri monasterij subjectione subtrahere , vel eandem cellam bonis suis temerè priuare tentaverit , secundò tertiove commonitus si non satisfactione congrua præsumptionem illicitam emendare curaverit , à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu alienus existat , atque in extremo examine districtæ ultiōi subjaceat. Cunctis autem hæc statuta servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi ; quatinus & hic frumentum honœ actionis percipient , & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen , Amen , Amen.

\* alodium

Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Bruno Signinus Episcopus.

Ego Landulfus Cardinalis Presbyter.

Datum Parmæ per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij quarto nonas Novembris, Indictione quinta decima, anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexto, pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ octavo,

### LUDOVICI VI. FRANCORVM

*Regis præceptum de libertate testandi & belandi pro servis Ecclesiæ Parisiensis.*

**L**udovicus Dei gratia Francorum Rex omnibus Christi fidelibus. Cum juxta sacratissimarum legum instituta regia potestas ex injuncto sibi officio Ecclesiarum defensioni & honori plurimum vacare debeat, operæ pretium est eos quibus tanta permitta est à Deo potestas, earum tranquillitati & paci anteriori sollicitudinis cura providere & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, Ecclesiæ & earum res quodam honoris privilegio decorare, ut in bonis actibus & regium morem exercant, & supernæ retributionis præmium indubitanter recipiant. Noverint igitur omnes quia sanctæ Parisiensis Ecclesiæ conventus nostræ serenitatis præsentiam adierit, conquerendo ostendens & ostendendo conquerens quatinus servi præfatæ Ecclesiæ secularibus personis tanto contemptui habebantur quod in forensibus & civilibus causis vel placitis adversus liberos homines in testimonium nullatenus recipiebantur, & ecclesiastica mancipia secularibus servis ferè in nullo præferebantur; unde

An. 1109.  
Similes litteræ  
pro Ecclesia  
Carnot. ex-  
tant in tomo  
xiiii. Spicileg.  
Dacher. pag.  
309.